



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XVIII. Vtrum detur in Deo scientia media contingentium conditionatè
futurorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

mus lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 4. & alibi non semel. Neuter verò illa usus fuisset, quia idoneè uti non potuisset, si vnus quilibet effectus contingens non esset ita præsens visioni diuinæ de ipso, totique durationi huius visionis; sicut cursus Petri est physice præsens Paulo illum videnti, dum illum videt. Eadem ratione plures Sancti Patres apud Petauium, & Montoyam, visionem potius, quam præsensionem dicendam putant, secundum proprietatem sermonis, scientiam, quam Deus habet de rebus quibusque existentibus in tempore. Quia videlicet non antecedit secundum se præcisè considerata, sed purè coëxistit tota sua duratione, cuicumque, & quandocumque coëxistit.

Ad 3. Angelus non senescit, sicut homo; sed in eadem semper dispositione permanet ad viuendum ulterius, ex quo incipit existere; & viuunt vniformiter ex natura rei sine fine. Propterea eius duratio dicitur æuum indiuisibile; nempe fundamentaliter, ac remote. Caterum formaliter est diuisibilis ea duratio, quia potest absolute deficere, atque interrumpi; siquidem potest annihilari Angelus, quandocumque Deo placuerit. At duratio Dei formaliter etiam, & proxime, est indiuisibilis, & essentialiter æterna. Vnde contingens, quod est futurum respectu nostri, est etiam futurum respectu Angeli; non verò respectu Dei. Et consequenter potest à Deo, non potest ab Angelo cognosci certò, & immediate in se ipso. Videatur D. Thomas in hac 1. par. qu. 57. art. 3.

Ad 4. Res create existunt in se, & coëxistunt Deo successive successionem vnus rei create ad aliam rem creatam, nec non vnus concreti ex Deo, & vna aliqua creatura, ad complexum ex Deo, & alia quadam creatura; non verò successionem vnus diuinæ durationis, per quam coëxistat vni creaturæ, ad aliam durationem diuinam, per quam coëxistat alij creaturæ. Licet ergo existant successive operationes creaturarum, quas exercent circa seinuicem, nec non operationes, quas Deus exequitur simul cum causis secundis, aut etiam se solo, sed transseunt in eisdem causis secundis; nulla tamen admittenda est successio in operatione diuina immanenti, tametsi versetur essentialiter circa res creatas ut præsentes sibi physice. Quia operatio immanens Dei durat sola æternitate, quæ cum sit indiuisibilis, & tota simul, atque indiuisim adest omnibus, quæ existunt successive. Quapropter sicut hodie datur duratio crastina, & hesternæ Dei: ita hodie datur operatio immanens postulans durationem crastinam, & hesternam ex parte Dei. Idem dicitur de tota æternitate, & de omnibus aliis differentiis temporis inuicem comparatis.

Art. 1. Ad 5. Quidlibet creatum per se ipsum essentialiter, & immediate est præsens Deo; quia eius æternitas complectitur indiuisim totam collectionem durationum creatarum, iisque omnibus, & singulis quandocumque existentibus est essentialiter præsens physice. Quidlibet autem creatum per se ipsum essentialiter est determinatum ad habendum aliquam suam durationem, licet sit indifferens ad hanc determinatam durationem, vel illam. Ergo quidlibet per se ipsum præcisè est essentialiter, & immediate determinatum, ut coëxistat Deo; & pro eodem priori, pro quo intelligitur existens, intelligitur cum hac determinatione, & coëxistentia; licet adhuc intelligatur indifferens, ut coëxistat his, vel illis aliis rebus creatis. Deinde cognitio diuina, circa res creatas priores, & posteriores natura, est indiuisibilis, & tota simul etiam virtualiter intrinsecè, ut infra dicitur. Vnde quidquid requiritur ad cognitionem rei posterioris natura, requiritur etiam pro cognitione prioris natura.

Art. 2. Ad confirmationem. Contingens absolute

futurum per se ipsum intrinsecè est prima determinatio formalis ad suum esse absolutum, & consequenter ad cognoscibilitatem, quæ sibi peculiariter conuenit. Idem verò contingens præcisè ut futurum conditionatè habet totum suum esse, & consequenter totam suam cognoscibilitatem per denominationem extrinsecam ab aliquo alio realiter distincto, ut dicitur in quæst. sequenti. Ergo ad cognitionem diuinam contingentis, ut absolute futuri, seu potius, ut absolute existentis in se, & coëxistentis Deo, requiritur præsentia physica ipsius secundum se respectu Dei; ad cognitionem verò eiusdem præcisè, ut conditionatè futuri, seu existentis conditionatè, sola requiritur præsentia physica alicuius alterius.



QVÆSTIO. XVIII.

Utrum detur in Deo scientia media contingentium conditionatè futurorum?



IDE ET VR non dari. 1. Quia contingens, quatenus conditionatè futurum, non potest cognosci in se immediate, & secundum quod est actu. Quia effectus pendens à conditione, quæ nondum est, aut nondum intelligitur posita, seu nondum est actu in se, nec ipse potest esse actu in se intrinsecè. Sed neque in sua causa certò, & infallibiliter cognosci potest. Quia causa effectus contingentis indifferenter se habet ad vtrumlibet oppositorum, ut ponderatum est in qu. præcedenti. Ergo contingens præcisè, ut conditionatè futurum, nullo pacto cognosci potest à Deo, qui nihil, nisi certò, ac infallibiliter cognoscere potest. Patet consequentia. Quia effectus contingentis duobus tantum modis considerari, & cognosci potest; vel nimirum in se ipso, secundum, quod est actu intrinsecè, vel in sua causa, ut dictum est in eadem quæstione ex D. Thoma quæst. 14. art. 13. & ex terminis ipsis satis apparet.

2. Nihil est, quod determinet intellectum Diuinum ad affirmandum determinatè, vel negandum contingens esse futurum sub conditione indifferenti ex se, ut illud subsequatur, vel non subsequatur ad ipsam. In primis enim nihil distinctum à Deo potest habere rationem ad id determinantis. Quia veritates purè conditionatæ nihil ponunt, aut supponunt absolute à parte rei extra Deum; ac proinde æqualiter subsistunt, siue detur aliquid, siue nihil detur absolute à parte rei distinctum à Deo, & præditum vi aliqua determinatiua. Sed neque aliquid indistinctum realiter à Deo determinare potest. Quia prædicata necessaria Dei, quæ sola præsupponit ante se scientia media, nullam habent connexionem determinatam cum alterutra parte contradictionis contingentis, atque ideo ad neutrius partis cognitionem determinare possunt intellectum diuinum. Intellectus autem neque diuinus, neque creatus determinari potest ad vllam cognitionem, nullo obiecto prædeterminante ad ipsam. Quia operatio nullam ante se præsupponens determinationem respectu sui, eo ipso est electio libera, nec pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem; nec potest electio libera aliundè differre ab operatione non libera, & pertinente immediate ad intellectum.

3. Contingens quatenus conditionatè futurum, nullum habet esse, nisi obiectiue in intellectu. Quia fieri potest, ut neque ipsum contingens, neque causa eius proxima, & particularis vnquam existat à parte rei.

rei. Causa verò remota non secus, quam ipsa causa proxima, est indifferens ad futuritionem, & non futuritionem eius, ideoque ad denominationem etiam futuri, & non futuri. Ergo quod sit ita futurum determinate, non conuenit ipsi à parte rei, nec intrinsecè ratione sui, nec extrinsecè ratione suae causae. Ergo eiusmodi esse conditionatum est esse tantum obiectiue in intellectu, idest, esse fictum, & chimericum. Quale profectò esse nulli obiecto conuenire potest per denominationem prouenientem ab intellectu diuino illud fingente.

Confirmatur, & ostenditur, quanti momenti sit istud argumentum. Quia Augustinus cap. 12. & 13. de Praedest. Sanct. merita purè conditionata semipelagianorum appellat futura, quae non sunt futura, idest, futura futuritionis ficta, & chimerica; & D. Prosper in epistola ad eundem Augustinum, quae communiter exhibetur in limine eius libri, impugnat eodè semipelagianos, quatenus adhaerentes meritis purè conditionate futuri. Quia confingebant futura, quae non sunt futura. Ergo futuritio euentuum contingentium purè conditionate futurorum est ficta, & chimerica, & ipsius cognitio est fingens, & falsa.

Confirmatur rursus. Quia cognoscens conditionate aliquid, apprehendit, ad modum existentis, conditionem, quae re ipsa non existit. Dum enim dicitur: *Si existeret talis vocatio*, particula, *si*, ad hoc adhibetur, vt significetur talem vocationem non existere, seu praescindi ab eo, quod sit verum; an existat, vel non existat à parte rei: & tamen apprehendi ad modum existentis, & assumi ab intellectu, tanquam existentem. Ergo in intellectu iudicante purè conditionate, datur necessariò fictio aliqua saltem secundum quid, & apprehensiu. Repugnat autem Deo fictio etiam secundum quid, & ex modo apprehendendi. Quia cognitio omnino conformis obiecto, & apprehensiu, & enunciatiu; quoad modum, & quoad substantiam, est perfectior, quam quae est illi aliquatenus disconformis. Imò qualibet disconformitas est aliqua imperfectio. Quia tota perfectio, & imperfectio cognitionis consistit in conformitate, & defectu conformitatis, seu in disconformitate cum obiecto. Cognitio verò diuina est ex pers. omnis imperfectionis, & continet in se omnem perfectionem.

4. Nemo ita desipere potest, vt concipiat iudicia, & decreta conditionata simul cum absolutis circa eandem rem, atque pro iisdem circumstantiis. Quis enim ita desipiat, vt eum intueatur lucentem lunam, simul dicat; si luceret luna, eam intrueret; aut si haberem Breuiarium, legerem illud, dum tenet Breuiarium, legitque: Deus autem habet, & semper habet iudicia & decreta absoluta circa omnia, & singula creata; nihilque est, quod non intueatur, vt existens absolute, vel, vt absolute non existens. Ergo circa nullum obiectum dicendus est habere iudicia, aut decreta conditionata; ne dicatur homine ineptissimo, ac stultissimo, ineptior, & stultior.

5. Si Deus sciret conditionate, qualia quisque merita, ac demerita habiturus esset, si diutius viveret, posset, atque deberet rependere pro illis praemia, & supplicia; atque ita vt bene operaturo nihil noceret, nihilque prodesset peccaturo mors accelerata ante opportunitates, seu bene operandi, seu peccandi. Aequalis namque aestimabilitatis, & consequenter aequalis efficaciae, ac virtutis motiua sunt merita, & demerita, siue conditionate, siue absolute prauiua. Quia vt quous modo sunt eadem, & non stat per hominem, quo minus ponantur absolute à parte rei. Sequela autem est absurda, & continet errorem Massiliensium reprobaturum ab Augustino, & Pro-

spero in locis paulò antè indicatis.

6. Diuisio scientiae Dei in scientiam visionis, & simplicis intelligentiae; liberam, & necessariam, traditur tanquam adaequata à Magistro, D. Thoma, Scoto, & Theologis aliis ferè omnibus excepto Molina, & asseclis. Et ratio est: quia diuisio obiectorum in existentia, & non existentia absolute, est adaequata. Quodlibet enim est absolute, vel absolute non est; nec est possibile aliquid inter haec extrema medium, quod neque sit, neque non sit absolute. Multiplicitas autem scientiarum pendet à multiplicitate scibilium. Ergo scientia media est reiicienda tanquam nona, & singularis in Theologia, ideoque falsitatis vehementer suspecta; & tanquam carens omni fundamento ex parte obiectorum.

7. Non praecipuat Deus existentiam absolutam suorum decretorum, & scientiam visionis absolutam de ipsis scientia media, quae praecognoscat conditionate quid decernendum foret ab ipso sub vnaquaque conditione possibili euenire ex parte arbitrii creati. Ergo neque existentiam, & scientiam absolutam actum liberorum arbitrii creati praecipuat scientia media, seu conditionata circa eodè. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens dant spontè Molina, & plerique alij patroni scientiae mediae. Similis paritas conficitur ex futuris conditionatis sub conditione disparata. Circa quae iidem communiter negant scientiam mediam; Eadem autem est ratio negandi eandem circa futura conditionata sub conditione conferente ad existentiam eorum. Quia vtrilibet conditio est aequè indifferens ex se ad existentiam, & non existentiam conditionati. Vnde vtraque est aequè inepta ad inducendam cognitionem determinatam ad vnam potius partem, quam ad oppositam.

8. Ab iisdem vnumquodque dependet pro statu conditionato, à quibus dependet pro statu absoluto. Omnia autem creata dependent quoad esse, & quoad cognosci pro statu absoluto à decreto libero Dei absoluto, & efficaci. Ergo pro statu conditionato dependent similiter à decreto libero Dei conditionato, & efficaci. Ergo scientia conditionata Dei circa effectus contingentes; quatenus conditionate futuros, non est media inter liberam, & necessariam, sed est perfecte libera Deo; vt potè dependens essentialiter à decreto libero Dei.

9. Si Deus posset cognoscere per scientiam mediam, contingentia quatenus conditionate futura, posset eadem cognoscere certò, quatenus absolute futura independenter à praesentia physica ipsorum. Posset nimirum ea cognoscere certò, tum in concreto ex scientia media, & ex decreto absoluto ponendi à parte rei hypothese, sub qua vnusquisque euentus prauius fuerit, vt futurus conditionate: tum in decreto absolute, & efficaciter praedefinitiuo, aut permissiuo conceptu dependenter à scientia media circa euentum prauius, per ipsam, conditionate. Quia vtrumvis ex his connectitur cum existentia absoluta futuri contingentis, circa quod veritatur; & neutrum negari potest circa vllum contingens admissa scientia media. Sequela autem contradicit doctrinae quaestionis praecedentis.

Art. 1. Responderetur. Notum est apud omnes, Deum cognoscere per scientiam simplicis intelligentiae euentus conditionate futuros sub conditione essentialiter inseparabili à conditionato: ex. gr. lignum bene dispositum ad combustionem comburendum esse, si illi applicetur ignis, nec negetur miraculo concursus diuinus: extitutum esse talem actum meritorium determinate, si Deus ipse efficaciter, absolute, ac determinate illum praedefiniat: & similiter extitutum esse tale peccatum, si idem illud permittat, & vtrumvis extitutum esse, si prauideatur à Deo scientia visionis

visionis; vel si ad vtrumvis prædeterminetur physice liberum arbitrium. Ratio est; quia veritates huiusmodi absolutæ non distinguuntur re ipsa à veritatibus absolutis prædicatorum essentialium, ratione quorum conditiones eiusmodi sunt metaphysice inseparabiles à conditionatis. Cum igitur Deus per scientiam absolutam simplicis intelligentiæ cognoscat comprehensivè quidditates talium conditionum; comprehendit utique per eandem, absque modo tendendi in se intrinsecè conditionato formaliter, veritates omnes simpliciter necessarias pendentes ab illis conditionibus; tamen à nobis percipi possint eandem veritates per cognitiones formaliter conditionatas, & sæpè vix possint aliter percipi. Certum similiter est ex dictis in questione præcedenti ab artic. 1. 3. Deum cognoscere certò, scientia formaliter, vel æquivalenter conditionata, effectus etiam immediatè contingentes, quorum futuritio conditionata est indistincta realiter; vel certè inseparabilis ab existentia absoluta aliorum effectuum contingentium itidem immediatè, & substantium scientiæ visionis Dei.

Art. 2. Questio igitur præsens est de scientia Dei circa contingentia quatenus conditionate futura independentè ab existentia absoluta eorundem, vel aliorum contingentium, in quibus ipsa aliquantulum præcontineantur. An scilicet cognoscat Deus omnes, & singulos actus nostros, ut futuros conditionate, vel conditionate non futuros, cum determinatione cognitionis in alterutram partem, sub omnibus, & singulis conditionibus absolute possibilibus, præcindendo interim ab existentia, & non existentia absoluta eorundem actuum, & conditionum: id est, An eos actus cognoscat per scientiam, quantum est ex se, separabilem ab eadem absoluta tum existentia, tum non existentia, & compossibilem absolute cum vtralibet? Triplex est opinio. Prima negat Deum cognoscere istiusmodi contingentia conditionate futura, præterquam coniecturaliter, iuxta naturam conditionis plus, vel minus inclinantis in alteram contradictionis partem determinate. Secunda affirmat eadem cognosci à Deo certò, & infallibiliter, sed non nisi in decreto suo libero efficaci conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte subiecti; id est, existenti absolute in Deo, sed volenti tantum conditionate alterutram partem contradictionis determinate sub vnaquolibet conditione. Tertia opinio affirmat eandem scientiam certam, ac infallibilem independentè ab omni eiusmodi decreto, eamque proinde appellat mediam inter scientiam præsertim necessariam, & liberam. Quatenus enim non dependet ab vilo decreto libero Dei absolute existenti, nec est impedibilis vlla Dei electione, non est propriè libera Deo. Quatenus verò est de obiecto contingenti, ideoque absolute fieri potuit, ut non daretur, non est omnino necessaria. Similiter non est scientia visionis, aut simplicis intelligentiæ usque adeo propriè. Quia nihil per eam videtur, ut existens in se absolute; nec tamen sola per eandem cognoscitur possibilitas eventus secundum se præcisè. Congruè igitur dicitur scientia media, tamquam existens in confinio eorum extremorum, & participans ex vtriusque aliquid ipsorum proprium, quatenus inter se differunt. Verum hoc pertinet ad modum loquendi.

Art. 3. Quod ad rem ipsam attinet; dicendum est, Deum certò, ac infallibiliter cognoscere omnes, & singulos actus liberos cuiusvis voluntatis creatæ, ut conditionatè futuros, vel conditionatè non futuros, cum determinatione in alteram partem, sub qualibet hypothesi, seu conditione absolute possibili; idque independentè ab omni suo libero decreto, siue absoluto, siue conditionato absolute existenti. Id est; Deum cognoscere ab æterno scientia metaphysicè

infallibili, & separabili à quovis decreto suo libero determinatè sumpto, D. Petrum ex.g. conuertendum fore, si vocaretur ea vocatione, cum qua defacto vocatus respondit: Quidam è contra peccatum fuisse, si constitueretur in ea occasione, in qua defacto constitutus prodidit Redemptorem; & sic de quavis alia electione libera creatæ sub qualibet hypothesi, seu actu primo immediato ultimo completo in ratione sufficientis ad vtramque partem contradictionis, aut contrarietatis. Hic nempe actus primus ita completus consideratus ut existens, præcindendo interim, an re ipsa existat absolute, vel non existat intrinsecè, dicitur hypothesi, & conditio in hac materia. Et quidem inesse Deo perfectam scientiam contingentium omnium, quatenus conditionatè futurorum, non minus quam ut futurorum absolute (quod præcipue ad hunc locum spectat) concors iam omnium fide Doctorum Catholicorum sententia est in omnibus scholis Catholicis meritò admittenda, tamquam indubitata, atque defensa constanter, tamquam omnino necessaria ad tuendam perfectionem diuinæ providentiæ circa res creatas.

Art. 4. Ratio efficax huius partis est. Quia Deus est vniuersale rerum omnium principium perfectissimum, atque adeo liberrime electum non modò rerum quarumlibet singularum seorsim, & secundum se; sed etiam combinationum omnium, & singularum; ita ut repugnet, non modò rei alicuius singularis seorsim, & secundum se existentiam, vel non existentiam; verum etiam eiusdem rei cum aliqua alia re, vel rebus aliis coniunctionem, aut non coniunctionem esse causalem, & fortuitam respectu Dei; id est, euenire independentè ab intentione, vel permissione Diuina non tantum materialiter, & identicè, sed etiam formaliter, & reduplicatiue libera. Quod sane absque absurditate maxima negari non potest, & infra ostendetur, inter alia ex illo Sapientiæ 11. 21. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Vbi habetur triplicata expressio clara omnium, & singularum combinationum creatarum respectu providentiæ, & liberæ electionis diuinæ politiciæ, aut permissiue.

Art. 5. Impossibile autem esset, ut conueniret Deo ea amplitudo providentiæ, & liberæ electionis circa omnes, & singulas combinationes, seu complexiones rerum, nulla facta exceptione, si non conueniret eidem scientia, qua ante omne suum decretum, & liberam electionem ponendi, seu non ponendi vnam quamlibet rem creatam à parte rei, præcognosceret, quid ex ea iam posita à parte rei subiequantur esset, aut impediendum ab eadem, ipso Deo non negante suam cooperationem. Impossibile namque est, ut suppetat libera electio, non præeunte cognitione eligendorum quoad id, in quo formaliter libertas electionis versatur. Aliquæ autem ex complexionibus creatis, imò præcipue complexiones, & combinationes rerum creatarum, ad quas cætera omnia bona creata propria Viatorum ordinantur, sunt eæ, quæ constantur ex voluntate creata sic, vel aliter præuenientia per hæc, vel illa auxilia, siue naturalia, siue supernaturalia, per quæ omnes eorum circumstantias; & ex actibus eius liberis, seu bonis, seu malis. Sicut enim finis creatus simpliciter vltimus ceterarum rerum creatarum est beatitudo Prædestinatorum: ita finis creatus huic vltimo immediatus, ideoque absolute vltimus comparatione bonorum, quæ conferuntur pro statu Viatoris, est causa proxima inductiua beatitudinis. Quæ causa est indistincta ab operibus meritoris saltem quatenus moraliter permanentibus usque ad finem vitæ.

Art. 6. Necessè igitur est; ut Deus, antequam discernat constituere substantiam rationalem creatam,

in

in hac, vel illa determinata opportunitate operandi, cognoscat certò, ac infallibiliter, quem exitum sit habitura vnaquæque opportunitas operandi; & an contingenda sit cum opere bono, an cum malo, & quali. Quod nihil est aliud, quàm præcognoscere omnes, & singulos actus nostros liberos, quatenus conditionatè futuros. Necessè verò est, vt sic præcognoscat subsequutionem istorum effectuum contingentium, non minùs quàm vt præcognoscat subsequutionem effectuum necessariò resultantium ex causis secundis necessariis. Quia circum vtrumque genus effectuum est æquè perfectum, æquè dominatiua, atque liberè electiua prouidentia Dei. Imò quia effectus contingentes sunt præcipua materia prouidentia Diuinæ, vt notatum est; tribuenda est Deo, quasi à fortiori, præscientia certissima, qua determinatè præcognoscat, quinam actus liber subsequuturus sit, si ponatur à parte rei voluntas sic, vel sic disposita ad operandum; siquidem tribuitur eidem præscientia certissima effectuum, qui subsequuntur ad vnaquasque causas necessarias, si ponantur à parte rei, sic, vel sic dispositæ: nec nisi dependenter ab hac scientia potest ponere à parte rei vnamquamque causam secundam, ex intentione determinata talis effectus in particulari, & cum prouidentia perfecta circa coniunctionem talis causæ determinatè cum tali determinato effectui.

Art. 7. Confirmatur validè istud argumentum. Quia in sacris literis semel, atque iterum tribuitur Deo clarissimè potestas libere electiua bonarum nostrarum operationum, & permissiua malorum. Audiat præsertim Apostolus ad Rom. 9. 18. *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Et iterum v. 31. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud autem in contumeliam?* Vbi miseratio est liberum arbitrium creatum prout coniunctum cum obferuantia mandatorum; sicut obduratio est idem arbitrium, vt coniunctum cum pertinacia peccandi. Vel potius miseratio est collatio coniunctionis illius prioris; sicut obduratio est permissio posterioris istius coniunctionis. Similiter vas in honorem est cor humanum non deuians à lege Dei; & vas in contumeliam est, quod deuia ab eodem, præsertim per finalem vtrouque, tum perseverantiam, tum impenitentiam. Ergo vtriusvis ex his extremis electio est perfectè libera Deo. Eodem pertinet totum ferè illud caput Apostoli; nec non caput 24. eiusdem Epistolæ, v. 4. & 2. ad Corinth. 9. 8. & Matthæi 3. 9. & Epist. can. Iudæ sine. Videri præterea plura possunt in eandem rem apud Lorinum. §. Colligit auctor, ad illud pl. 39. 6. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.*

Art. 8. Ob hæc, & alia similia testimonia: *Quis porro tam impiè dispiciat* (intonat Augustinus in Ench. c. 97. fine) *vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Habet igitur Deus scientiam infallibilem, qua certissime præcognoscit, quibus adhibitis auxiliis, & circumstantiis bene operabitur voluntas nostra, & quibus abutetur. Quali videlicet præeunte, ac dirigente scientiâ, electio talis fieri, & essentialiter infrustrabilis euadere potest, & sine ipsa non potest; quandoquidem causa immediata, quæ adhibetur, est indifferens ad vtrumque, & absolute fallibilis, quantum est ex se intrinsece. Quapropter, idem August. lib. 1. ad Simpl. q. 2. prope medium, cum prætulisset infallibilitatem misericordiae diuinæ, & nostræ sub ipsa, conuersionis, seu bonæ voluntatis; recurrit immediate ad præscientiam istam dicens. *Quia cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respiciat.* Eandem antecedentiam, & directionem huius

R. P. Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

scientiæ de nostris actibus, vt conditionate futuri agnoscat D. Thomas in hac 1. p. q. 23. ar. 5. ad 1. respectu voluntatis diuinæ conferentis auxilia gratiæ. *Dicendum, ait, quod usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis.* Non autem præscitus, vt absolute futurus; cum præscientia absoluta præsupponat, vel certe includat voluntatem collatiuam gratiæ, idest, actiui eius collationem, vt existentem absolute. Ergo præscitus, vt conditionate futurus.

Art. 9. Eidem doctrinæ suffragantur D. Augustinus sæpe, & alij Sancti PP. communiter, dum supponunt in Deo, tanquam indubitatam, præscientiam peccati Adæ, & proditionis Iudæ, quæ potuerit impedire creationem illius, & vocationem huius ad Apostolatam: Rursus præscientiam fidei aliquorum in Christum, & infidelitatis longè plurium, pro prioribus faculis, quarum altera præscientia retardauerit defecto, altera accelerare potuerit Incarnationem Verbi Diuini: vltius præscientiam peccatorum paruuli, *quæ raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, ac demum præscientiam poenitentia finalis eorum, quos Deus expectat ad poenitentiam. Testimonia Sanctorum PP. in hunc sensum sunt obuia, ac nota omnibus, qui vel leuiter in ipsis versati sunt, & habentur quamplurima, atque clarissima, cum aliis permultis multiplici scopo affinibus, apud Montoyam tota disput. 65. & 66. de scientia Dei, & videri potest Aug. tum alias sæpe, tum lib. 14. de Ciuitate 27. Præscientia autem, de qua circa eos euentus ita loquuntur Sancti PP. non potest esse scientia visionis absolute futurorum; seu formaliter, seu æquiuallenter. Quia hæc scientia est inseparabilis ab euentibus, quos illa eadem dicitur impedire potuisse; eademque est impossibilis cum iis euentibus, quos illa eadem dicitur inducere potuisse, vt consideranti facile patebit, & clare. Multo minus intelligi potest scientia coniecturalis. Quia Sancti PP. non aliter loquuntur circa hæc de scientia Dei, quam circa possibilia, & absolute futura, & procul dubio intelligunt scientiam, qualis debet Deum, & directione prouidentia infallibilis absque restrictionibus, quæ, nonnisi apud Scholasticos, eosque perpauca, & tenuia, nec multò pridem audiri cœpere cum scandalo, & iam apud posteros euanescere. Intelligitur ergo scientia infallibilis eorum actuum liberorum, vt conditionatè futurorum, independenter ab existentia, vel non existentia absolute eorundem, vel aliquorum aliorum actuum liberorum determinate. Datur igitur in Deo scientia infallibilis, & certa nostrorum actuum liberorum, quatenus conditionate futurorum.

Art. 10. Quod autem hæc Dei scientia nitatur decreto libero Diuino conditionato prædeterminandi physice arbitrium creatum, ad actum, quidem bonum, si in talibus determinate circumstantiis constituitur; ad materiale verò peccati, si in talibus determinate aliis constituitur; subiacet omnibus argumentis, quibus in quæstionibus de efficacia gratiæ ostensum est, physicam prædeterminationem, vltra alia incommoda, repugnare libertati, ac indifferentia arbitrii nostri; eandemque esse rationem de quolibet alio essentialiter, ac determinatè connexo cum altera determinatè parte contradictionis, aut contrarietatis, simulque inenitabili simpliciter, seu inimpedibili ab eodem arbitrio creato. Verum eadem ratione, qua non licet eas quæstiones in publicam lucem producere, nec etiam licet huc eas transferre mutatis vocibus, & interposito velamine nimis transparenti aduersus Constitutiones Pontificias indicentes silentium circa istam controuersiam de efficacia gratiæ, & circa ea, quæ eandem indirecte contingunt. Hoc vnum obseruare, & licet, & libet, recursum ad decretum conditionatum Dei absolute existens pro scientia Di-

F

uina

ina contingentium conditionate futurorum, siue prædeterminatum illud dicatur, siue non prædeterminatum physicè, non modò nullum habere fundamentum positium directum, vel indirectum in doctrina D. Thomæ, ut agnoscit, inter alios Illustrissimus Arauio, quoad decretum prædeterminatum prædeterminatione simpliciter, & sine addito physica, verum etiam repugnare Sancto Doctori, utpote recurrenti vbique, pro Diuina contingentium absolute futurorum cognitione, ad præsentiam physicam eorundem respectu eiusdem, ratione cuius præsentia cognoscantur immediate in se ipsis, cum non possint vlllo alio modo certitudinaliter primitus cognosci, iuxta mentem ipsius, & iuxta veritatem, uti obseruatum, & ostensum est in questione præcedenti, & apparet clarè ex locis ibi indicatis. Quidni igitur idem ob eandem rationem dicatur de scientia contingentium conditionate futurorum, nempe ea quoque immediate cognosci in se ipsis, nec alio modo certitudinaliter cognosci posse ratione alicuius antecedentis determinate connexi cum altera parte contingentia.

Art. 11. Verum efficacissimus modus excludendi, ac dissuadendi eiusmodi libera decreta conditionata, constat idonea expositione modi quo Deus determinari possit, & necesse sit, ut determinetur ad cognoscendam alteram partem ut conditionate futuram, circa effectus contingentes, absque aliquo præuio intrinsecè ad vnam partem determinato formaliter. Dicendum autem est, Deum determinari ad eiusmodi scientiam sola perfectione infinita essentia suæ. Quia essentia Diuina per se ipsam præcisè est sufficientia ad habendam omnem cognitionem, sine qua subsistere nequit amplissima libertas electionum diuinarum, & conceptus providentiæ vniuersalis infinitè perfectæ. Ostensum autem est supra, talem esse cognitionem determinatam contingentium conditionate futurorum. Sola itaque præit essentia Diuina secundum se, ex parte actus primi virtualis, & in genere quasi causæ efficientis. In actu verò secundo, & in genere quasi causæ formalis, determinatio ad alteram partem contradictionis, vel contrarietatis constituitur adæquatè per ipsam actuale cognitionem repræsentatiuam vnius partis contingentia; ut conditionate futuræ, & oppositæ partis, ut similiter non futuræ. Quapropter scientia media huius determinatæ partis, ex gr. conuersionis D. Petri, quatenus connexa determinatè cum eadem conuersione, procedit virtualiter intrinsecè ab essentia Diuina, indifferenti quidem ex se præcisè ad eam cognitionem, & ad oppositam; non tamen indifferenti, ut careat utraque cognitione, sed inducenti necessariò alterutram determinatè, eam videlicet, quæ defacto est vera.

Art. 12. Repugnat nimirum omni cognitioni diuinæ ut sit falsa, & similiter repugnat essentia diuinæ secundum se, ut careat aliqua præuia cognitione conducenti, ac necessaria ad perfectionem providentiæ vniuersalis, & ad liberam electionem omnis combinationis, & ordinis inter causas, & effectus creatos, maximè contingentes. Ex hac autem duplici repugnantia resultat necessitas metaphysica, ut essentia diuina sola sua vi, & sufficientia propria entis infiniti erumpat in eam potissimum cognitionem, quæ defacto est vera, circa vnumquodvis futurum contingens sub vnaquolibet hypothese, tamen idem futurum non possit poni absolute à parte rei absq; cooperatione, & electione formaliter libera arbitrij creati. Quod quidem ita pertinet ad conceptum Diuinitatis, sicut pertinet ad conceptum perfecti artificis, ut antequam eligat, adibeatque aliquod instrumentum, præcognoscat quale prodibit opus adhibito vnoquoque instrumento; licet opus ipsum exequi,

aut videri executioni mandatum minimè possit, nisi adhibito instrumento determinato.

Art. 13. Ratio, ob quam essentia Diuina, quantumvis sit ex se indifferens ad vtramlibet ex cognitionibus oppositis circa contingens conditionatum, potest nihilominus alteram determinatè inducere, hæc est præcipua. Quia videlicet cum perfectione ipsius essentia simul adest virtualiter, & eminenter perfectio propria, & peculiaris liberi cuiusque arbitrij creati, ut potè præcontenti in illa tum physicè, tamquam in causa efficienti adæquata, tum intentionaliter, tamquam in specie expressa itidem adæquata ipsius arbitrij, & omnium, ac singularum operationum eius. Ratione namque vtriusque huius præcontentia excludentis ex se omnes imperfectiones proprias rei præcontentæ, ac præsertim alligationem ad determinatum tempus, & locum, nec non augmentum perfectionis per operationem propriam, potest essentia Diuina se sola quasi electiue præinducere ab æterno cognitionem vniuscuiusque electionis creatæ, ut futuræ sub qualibet hypothese absolute possibilis, si hæc ponatur à parte rei. Quæ præcognitio est quedam purè intellectualis præelectio æterna electionis effectiua creatæ, ac temporalis sub eadem cuiusque hypothese. Quia verò istiusmodi præelectio, seu quasi præelectio, non solum in se intrinsecè est expers omnis imperfectionis necessariò adiacentis electioni ipsi creatæ, ac temporali in se, sed neque habet vllam connexionem absolutam cum vlla tali imperfectione, sicut habet scientia absoluta visionis circa electiones creatas: propterea prodire potest à libero arbitrio creato præcisè, ut eminenter contento in essentia Diuina, licet scientia visionis dari non possit, nisi determinante ad ipsam eodem libero arbitrio creato, quatenus existente in se intrinsecè.

Art. 14. Nempe liberum arbitrium creatum, prout contentum eminenter in essentia Diuina, est pura perfectio absque vlla imperfectione: cum includat plures imperfectiones, prout est in se intrinsecè. Potest igitur, ut præcontentum in Deitate, inducere intentionalem illam determinationem sui expertem omnis imperfectionis, & connexionis absolutæ cum imperfectione; tamen solum, ut est in se intrinsecè, inducere valeat determinationem sui connexam absolute cum imperfectione. Præterea, quia idem arbitrium prius, nempe ab æterno, existit in Deitate intentionaliter tamquam in specie expressa adæquata sui, & suarum operationum, quàm existat physicè in se ipso; ideò prius, nempe ab æterno, inducit determinationem intentionalem sui, & cognitionem determinatam, quàm determinationem effectiuam, & physicam. Eodem namque modo comparatur vnumquodque principium cum determinatione sua purè intellectuali, quatenus intellectualiter præexistens, quo comparatur cum determinatione sua effectiua, & physica, quatenus existens physicè in se ipso. Tam igitur necesse est, ut existat in Deo determinatio purè intellectualis æternæ liberi arbitrij creati propter præexistentiam intellectualem æternam eiusdem liberi arbitrij in Deo, quàm necesse est ut existat in ipso libero arbitrio determinatio eius effectiua, & physica temporalis propter existentiam physicam temporalem eiusdem arbitrij in se ipso, cum re ipsa ponitur à parte rei, utque illa sit conditionata formaliter, vel æquualenter, sicut hæc est absoluta.

Art. 15. Difficilis fortè apud nonnullos erit assensus huius doctrinæ, ipsaque doctrina mirabilis potius, & audax, quàm credibilis, sicut difficilis, & incredibilis apud nonnullos alios est doctrina præcedentis questionis de scientia visionis circa effectus, contingentes absolute futuros fundata in præsentia physica ipsorum respectu Diuinæ æternitatis. Verum vtrique

utrique, & unusquislibet suggerere sibi debet, dum circa hæc impari contemplatione versatur, illud psal. 136. *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est & non potero ad eam.* Et rursum v. 12. *Tenebrae non obscurabuntur à te; & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebrae eius, & lumen eius.* Quibus monemur, & incitatur ad credendum mirabilia de scientia Dei, & ad existimandum eò vel maxime illa esse credibilia de Deo, quia sunt supra omnem facultatem, modumque intelligendi proprium intellectus creati. Quia videlicet Deus potest ex se refundere lumen in ea, quæ extra Deum, secundum se præcisè sunt puræ, ac meræ tenebrae, idest, nihil habentia cognoscibilitatis intrinsecè in se actualiter, & absolute. Hoc nimirum est noctem illuminari, sicut diem, & tenebras esse sicut lumen, & in summa, mirabilem esse scientiam Dei mirabilitate non solum respectu ignorantium eas facultates; sed absolute, & simpliciter, atque respectu sapientissimorum multò magis: quia ipsi multò magis percipere possunt difficultates intercurrentes in Divinis Mysteriis, quin aquè benè penetrare valeant sufficientiam, & infinitatem Divinæ perfectionis valentis, quantum est ex se, illis omnibus satisfacere, & non satisfaciens omnino propter incapacitatem nostri intellectus.

Art. 16. Ad aliqualem nihilominus maiorem claritatem doctrinæ traditæ, iuvat eandem distinctiùs proponere per breves assertiunculas; quarum series ponatur ob oculos distinctiùs naturam scientiæ Dei libera. Sit itaque assertio prima. Scientia Dei libera, alia est ipsi soli; alia ipsi, & nobis libera. Probatur, & explicatur assertio. Scientia Dei non est libera directè, & ratione sui formaliter, sicut fides humana, & opinio. Quia nos possumus imperare, & coercere, elicere, & omittere assensum fidei, & opinatum, obiectis eodem modo se habentibus, ita ut possimus cedere assensu vero, & elicere falsum, prout libuerit; Ideoque subest imperio nostro directè, & ratione sui, sicut ambulare, & sedere. Imò & ad obiecta evidentè cognoscibilia possumus applicare, & non applicare intellectum pro libito. At scientia Dei nec imperari, aut haberi potest, non existente obiecto cognoscibili vero eo modo, quo cognoscibile est; nec cohereri, aut omitti potest, illo existente eodem modo. Quia Deus nec ignorare quidquam potest, nec falsò cognoscere. Quapropter nulla eius scientia potest esse libera directè, & ratione sui formaliter, sed tantum indirectè, & ratione alterius; nempe quatenus liberum est, ut detur, vel non detur obiectum cognoscibile vere. Erit ergo libera existentia scientiæ Dei, cui liberum fuerit, & quatenus liberum fuerit, ut detur, vel non detur obiectum cognoscibile vere. Aliqua autem sunt obiecta cognoscibilia verè, quæ ut detur, est liberum soli Deo. Alia verò sunt obiecta, quæ ut detur, est liberum Deo, & nobis. Nam ut detur Celi, elementa, Angeli, & alia huiusmodi, est liberum soli Deo. Ut verò detur actus meritorij, & demeritorij, est liberum Deo, & nobis; quod est certum ex fide. Ergo scientia Dei libera, alia est libera ipsi soli; alia ipsi, & nobis. Quod erat probandum. Nec vacat dicere, libertatem nostram esse omnino subordinatam Divinæ; quod est verissimum. Quia inde solum sequitur, aliquam Dei scientiam nobis etiam esse liberam libertate subordinata divinæ; sicut etiam nobis est liberum aliquod obiectum scientiæ Dei. Nec enim propterea non sunt libera nobis, aliqua scientia Dei, & aliquod eius obiectum, quia sunt libera libertate subordinata.

Art. 17. Assertio secunda. Sola nostra libertate fieri potest, ut impediatur aliqua Dei cognitio. Sequitur ex precedenti. Quia quod duobus coniunctum est liberum, ab utrolibet seorsim est impedibile. Quod-

libet enim impeditur, quominus sit, defectu cuiuslibet necessarij, ut sit. Cum igitur, quod duobus coniunctum est liberum indigeat utriusque consensu, ut sit; sitque utriusque consensus necessarius ad existentiam eius; patet utriuslibet dissensum, seu omissionem sufficere, ut id non sit, seu ad impediendam eius existentiam; atque idè fieri posse, ut sola utriusvis seorsim libertate impediatur. Aliqua autem Dei cognitio est ipsi, & nobis simul libera. Ergo tam sola nostra libertate, quam sola Divina fieri potest, ut impediatur aliqua Dei cognitio.

Art. 18. Assertio Tertia. Sola nostra libertate fieri potest, ut existat in Deo aliqua cognitio. Sequitur ex precedenti. Quia repugnat impediari aliquam Dei cognitionem, quin Deus eo ipso cognoscat illam esse impeditam, seque impeditum esse, quo minùs illam habere possit, & à quo hoc impedimentum proveniat; & obiectum cognitionis impedita non esse proxime cognoscibile, nec dari à parte rei. Aliàs enim posset aliquid accidere; Deo id nescienti; possetque aliquid verè dari, aut non dari à parte rei, nec esse proxime dabile, quin eo ipso cognosceretur eatenus à Deo. Cum ergo sola nostra libertate fieri possit, ut impediatur aliqua Dei cognitio, eadem etiam sola fieri potest, ut existat in Deo aliqua alia cognitio. Adiungo huic assertioni quartam, & quintam ita illi æquipollentes, ut vix vlla seorsim egeant probatione. Quarta itaque est. Datur in Deo cognitio contingens absolute, simulque non libera Deo. Quia quæ impediari, quæque induci aliqua libertate potest, non est simpliciter necessaria. Neque est libera Deo, quæ induci sola nostra libertate potest; cum quod alicui liberum est, non possit soli alteri esse liberum positivè. Quinta assertio est. Datur in Deo cognitio nobis libera, simulque non libera Deo. Quæ conclusio nihilo reipsa differat à duabus præcedentibus.

Art. 19. Assertio sexta. Datur scientia Dei media inter scientiam Deo liberam, & necessariam simpliciter. Deducitur clarè ex dictis. Quia scientia, quæ est contingens, simulque non libera Deo, participat aliquid ex utroque hoc extremo, & cum neutro convenit adæquatè. Participat enim ex scientia Deo libera contingentiam; & potuisse absolute non esse in Deo; ex necessaria verò participat defectum libertatis ex parte Dei; ac per consequens neque cum scientia simpliciter necessaria, neque cum libera respectu Dei adæquatè convenit. Ostensum est autem inesse Deo scientiam non liberam ipsi, & nihilominus contingentem simpliciter, seu quæ potuerit absolute non dari secundum terminationem, iuxta ea, quæ infra exponuntur circa terminationes liberas Dei; ubi etiam modificabitur, & exponetur legitime vox ista contingentiae cum aliis similibus respectu terminationum divinarum ad obiecta creata: Datur igitur in Deo scientia verè media modo dicto.

Art. 20. Si verò displiceat vox ista scientiæ mediæ, placeatque usurpare, tamquam adæquatam, divisionem antiquam in scientiam liberam, & necessariam, facili id negotio fieri potest, absque vllò veritatis, & rei significata detrimento; dummodo per scientiam liberam non intelligatur determinate ea tantum, quæ libera Deo est, sed absolute, quæ libera est, præscindendo à libertate creata, & increata. Verùm scientia Dei libera hoc modo sumpta subdividi rursus potest in liberam soli Deo, & in liberam Deo, & nobis; & in liberam nobis tantum. Et quidem subdivisio in scientiam liberam soli Deo, & liberam Deo, & nobis simul, à nemine negari potest. Quia à nemine negari possunt obiecta soli Deo libera, & obiecta libera Deo, & nobis simul. Ea autem quæ est nobis tantum libera, iuxta deductionem hic factam, appellatur à nostris Theologis communiter scientia media, clari-

tatis ergo; & pro maiori disputationum expeditione, eademque de causa appellabitur à nobis, in decursu, eodem modo. Sed iam initio monui istam controuersiam esse de voce, ideoque nullius momenti.

Art. 21. Assertio septima. Obiectum absolute, & determinate cognitum per scientiam mediam est negatiuum. Hæc assertio subluet in fundamentis assertionis primæ, secundæ, & tertiæ. Ostensum est enim assertionem secundam, aliquam Dei scientiam ob hanc præcisè rationem, impediri posse sola nostra libertate; Quia quod est Deo, & nobis simul liberum, fieri potest, ut impediatur, tum sola diuina, tum sola nostra libertate. Ostensum rursus similiter est assertionem tertiam, aliquam Dei scientiam, ob hanc præcisè rationem, induci posse sola nostra libertate; quia non potest impediri aliqua Dei cognitio, quin Deus eo ipso cognoscat eam esse impeditam, eiusque obiectum non esse proximè cognoscibile. Ostensum denique est assertionem primam, inductionem, & impeditionem, alicuius cognitionis diuinæ solum indirectè liberam esse posse; sola scilicet libertate directa penes eius obiectum. Cum igitur apud nos solos sola sit formaliter libertas impediendi aliquam Dei cognitionem; & sola huius impeditione, inducendi aliquam aliam cognitionem, eam scilicet, quam mediam appellauimus; quod perinde est, atque sola impeditione alicuius obiecti induci eam scientiam; patet scientiam mediam solum reipsa cognoscere absolute, & determinate aliquod obiectum non fore, ideoque eius obiectum esse purè negatiuum. Quia impediti obiecti est sola negatio formaliter, ac præcisè.

Art. 22. Cognoscit itaque Deus, per scientiam mediam, vocationem, totamque libertatem in actu primo proximo, quæ ex. gr. collata est defacto D. Paulo, ut conuerteretur ad Christum, non coniungendam esse cum dissensu, nec liberum proximè sibi esse, ut cum eo coniungatur, seu permittatur coniungi. E conuerso respectu Iudæ, cognoscit vocationem, totamque libertatem in actu primo proximo, quæ collata est illi defacto, ut perseveraret, non coniungendam esse cum consensu, nec sibi esse proximè liberum, ut cum eo coniungatur. Idem similiter cognoscit de qualibet alia vocatione, & libertate creata in actu primo proximo. Quia eadem est ratio de qualibet vocatione, & libertate in actu primo proximo absolute possibili. Nihil verò amplius cognoscit Deus absolute, & determinate per scientiam mediam, ut apparet clarè ex serie assertionum præmissarum. Ergo obiectum absolute, & determinate cognitum per scientiam mediam, eiusdemque proprium, ac speciale, est purè negatiuum; siquidem non coniunctio, & non liberum proximè; seu libertas proxima quatenus non existens, & coniunctio quatenus non futura, sunt solæ negationes. Dixi, obiectum proprium, ac speciale; quia non negatur scientiæ mediæ obiectum positium, præsertim, quod est motiuium formaliter, eidem commune cum scientia simplicis intelligentiæ, & visionis. Quod tamen nihil interest pro re præsentis.

Art. 23. Postrema assertio est. Scientia media saltem æquiualeuter est disiunctiua, & conditionata circa nostrum consensum, & assensum liberum sub vnoquoque auxilio, & collectione circumstantiarum. Probat. Quia perinde est scire hanc vocationem non coniungendam esse cum dissensu, & hanc aliam non esse coniungendam cum consensu: seu hanc vocationem non fore inefficacem, & hanc aliam non fore efficacem: idque esse inuitabile Deo independentem ab omni decreto suo libero, quod obiectum cognoscitur formaliter per scientiam mediam, ex assertionem præcedenti: Perinde, inquam, hoc est, atque scire hanc vocationem, vel non esse exituram, vel

esse coniungendam cum consensu; seu si extiterit, coniungendam esse cum consensu, & fore efficacem; hanc verò aliam, vel non esse exituram, vel coniungendam esse cum dissensu, & fore inefficacem; idque utrobique esse inuitabile Deo independentem ab omni suo libero decreto. Nempè, posita vocatione, totaque libertate proxima in actu primo, nullum datur medium inter consensum, & dissensum, seu omissionem liberam consensum; sed necesse est, alterutrum ex iis dari à parte rei. Ergo non potest fieri quin coniungatur cum consensu, & sit efficax, si ponatur à parte rei ea vocatione de qua absolute verum est, atque aded inuitabile iam est, non coniungendam esse cum dissensu, & similiter è conuerso de ea, quæ cognoscitur non coniungenda cum consensu. Hoc autem manifestè continet in se, saltem æquiualeuter, veritatem disiunctiuam, & conditionalem, qualem expressimus.

Art. 24. Cognoscit itaque Deus determinate, saltem æquiualeuter, de qualibet vocatione, vel non esse exituram, vel fore efficacem, seu si extiterit, fore efficacem: aut è conuerso, vel non esse exituram, vel fore inefficacem, seu si extiterit, fore inefficacem. Quare si nulla agnoscat imperfectio in modo tendendi formaliter disiunctiuo, & conditionato; scientia media dicenda est formaliter disiunctiua, & formaliter conditionata, vel alterutro ex his modo: si minus, dicatur tantum absolute, ac determinate tendens in negationem efficaciam, aut inefficaciam cuiusque auxilij, iuxta assertionem præcedentem. Nec enim tanti interest, utro ex his modis loquatur. Noster tamen sensus circa hoc ipsum patebit ex responsione ad 3. circa secundam eius confirmationem. Interim ex his omnibus, quæ dicta sunt, constat, quod ad rem ipsam attinet, dari in Deo scientiam mediam, sensu superius explicato, eodemque intento, re ipsa ab omnibus nostris Theologis, & à quamplurimis alijs, quorum longum catalogum exhibent Montoya, Paulus Leonardus, & alij in præfenti.

Ad 1. Effectus contingens tam ut futurus conditionatè, quam ut non futurus conditionatè, coincidit reipsa cum veritate obiectiua contingentis purè negatiua, ut liquet ex proximè dictis. Nulla autè veritas obiectiua purè negatiua, siue pertinens ad statum conditionatum, siue absolutum, est talis per se ipsam intrinsecè, sed per solam denominationem extrinsecam ab alio intrinsecè impossibili cum eo, quod negatur; uti apparet ex dictis in questione præcedenti circa scientiam diuinam negationum, & alibi ex professo efficaciter comprobabitur. Dicendum itaque est, futura contingentia quatenus conditionatè futura non cognosci determinatè in vlla eorum causa, quod efficaciter conuincit obiectio; sed cognosci immediatè in se ipsis ea immediatione, quæ respectu cuiuslibet alterius veritatis obiectiue consistentis in negatione, possibilis est. Quod ne tangit quidem obiectio.

Ad 2. Essentia Diuina nequit se sola determinare in genere causæ formalis intellectum Diuinum ad alterutram partem veritatis contingentis; determinare tamen potest se sola in genere quasi causæ efficientis propter continentiam virtutalem physicam, & intentionalem formalem liberi arbitrij creati; uti expositum, & comprobatum est supra ab artic. 11. In genere verò causæ formalis determinatur intellectus Diuinus per actualem cognitionem vnius partis exclusiuam partis oppositæ, ut ibidem dictum est. Ratio autem, ob quam hæc formalis determinatio intellectus Diuini non sit electio libera respectu Dei, licet nihil ante se præsupponat formaliter determinatum ad vnam partem potius, quam ad oppositam

oppositam, facile deducitur ex dictis ibidem. Quia videlicet ea determinatio procedit ab essentia Diuina, quatenus continetur in se liberum arbitrium alterius, & per quandam attemperationem cum eodem, atque interueniente necessitate conditionata conformitatis cum libera electione arbitrij creati. Quæ dependentia à libertate, & electione alterius principij electiui; atque necessitas attemperationis cum eadem, est contra conceptum electionis formaliter liberæ respectu principij, quod exercetur immediate tali operatione, & cognitione. De ratione namque liberæ electionis est, vt tam existentia, quam impedio eius tribuatur principio, à quo immediate procedit physice, & non alteri principio formaliter electiuo, & libero. Quod autem nulla huiusmodi determinatio intellectualis dari possit in creatis, nulla prius formaliter præexistente determinatione obiectiua ad vnā partem, nihil probat respectu Dei, qui ratione suæ infinitatis sufficit ad plura etiam alia, ad quorum similia non sufficiunt causæ secundæ ratione suæ limitationis, & incontinentiæ eminentialis omnium aliorum principiorum distinctorum ab vnaquaque illarum, vt superius ponderatum est.

Art. 1. Ad 3. Contingens, quatenus conditionate futurum, est obiectum re ipsa purè negatiuum, ideoque minimè capax, quatenus tale formaliter, cui insit aliquod esse, seu prædicatum aliquod in se intrinsecè, sed per solam denominationem extrinsecam ab alio. Huiusmodi autem denominatio extrinseca non ficit, sed verè, & realiter conuenit effectui contingenti. Quia verum est, & minimè fictum, vocationem, v. gr. collatam de facto D. Petro non esse coniungendam cum dissensu, siue ea vocatio ponatur absolute à parte rei, siue numquam ponatur absolute à parte rei. Ipsa namque vocatio secundum se est quid reale, vt patet; & denominatio non coniunctionis cum dissensu, conueniens ipsi absolute ratione scientiæ Dei actualiter existentis, & conditionate ratione euentus, qui re ipsa eueniet, si ponatur eadem vocatio absolute à parte rei, est itidem realis, & vera ex utroque capite, vt patet ex dictis supra, & facile cuique apparet rem totam vel leniter consideranti. Nihil igitur fictum interuenit in obiecto scientiæ mediæ, licet nihil eidem obiciatur in se intrinsecè existens, seu habens in se intrinsecè aliquod aliud prædicatum. Fictio enim consistit in eo, quod attribuitur alicui oppositum eius, quod sibi inest à parte rei; non verò in eo, quod attribuitur aliquid per denominationem purè extrinsecam relatè ad euentum re ipsa futurum conditionatè, existente principio reali sufficienti ex se ad inducendam futuritionem eiusmodi conditionalem intentionaliter, ac intellectualiter.

Art. 2. Ad primam confirmationem. Augustinus, & Prosper non propterea appellant ficta, merita conditionata Pelagianorum; quia ab ipsis dicerentur præcognosci, vt futura sub conditione. Ipse namque Augustinus, vt alia nunc omitam, in libro de bono perit. à c. 9. vbi vel maximè eum Pelagianorum errorem persequitur, clarissimè, ac indubitanter docet Deum præscire merita, & demerita hominum, vt futura sub conditione, non posita absolute à parte rei, vel certè impedibili in sensu composito talis præscientiæ. Quam in rem, præter multa alia dicit in principio eius capitis de mortuis in peccato: *Certè poterat illos Deus præscire esse lapsuros, antè quàm id fieret, auferre de hac vita.* Et tamen vita quatenus non ablata, seu quatenus possibilis non auferri, erat conditio necessaria ad lapsum præscitum, qui asseritur impedibilis à Deo ratione præscientiæ Diuinæ de eodem lapsu, utique, vt conditionatè futuro; cum quod

R. P. Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

præscitur absolute futurum, non possit impediri ex vi eiusdem præscientiæ.

Art. 3. Merita ergo, & demerita conditionate futura qualia docebantur à Pelagianis, ideo præcisè dicuntur ab Augustino, & Prospero, non futura, & ficta; Quia Pelagiani tribuebant absolute vim meritoriam, ac demeritoriam operibus bonis, & malis, quibus non nisi conditionatè tribuebant existentiam. Eadem proinde opera dicebant absolute futura, & existentia simpliciter in ratione meriti, & demeriti inducentis defacto causalitate absoluta morali præmium, & supplicium; quæ dicebant, & erant conditionatè tantum futura, & existentia solum secundum quid quoad entitatem, totamque suam bonitatem, & malitiam moralem. Ac demum volebant opus, quod tantum foret, iam eo ipso esse, & inducere absolute vi, & causalitate suā vitam, vel interitum æternum. Quæ sunt planè chimerica, & ficta, & non dicuntur ab illo auctore Catholico scientiæ mediæ, & impugnantur ex professo ab omnibus nostris Theologis, vt impugnabuntur etiam à nobis in qq. de merito humanorum actuum. Videatur interim Augustinus in loco indicato de bono perseverantiæ, vbi hæc eadem disertè docet, ac distinguit.

Art. 4. Ad secundam confirmationem. Sicut ea, quæ nos cognoscimus componendo, & diuidendo, cognoscit Deus absque compositione, & diuisione, per simplicem intuitum: ita quæ nos cognoscimus per cognitionem formaliter conditionatam, & ad instar inferentis, Deus cognoscit per cognitionem æquiualentem conditionatam, & formaliter absolutam. Omnis nempe conditionalis resoluitur in absolutam negatiuam coniunctionis inter conditionem, & conditionatum, aut conditionati omissionem, præscindendo inserim ab existentia, & non existentia absoluta vtriusvis eorum seorsim, & secundum se. Cognoscit igitur Deus re ipsa in hunc modum: Hic actus primus proximus libertatis ex. gr. qui datus est D. Petro ad conuersionem, non coniungitur cum omissione conuersionis, neque hæc coniunctio subest meæ liberæ electioni, seu permissioni: Hic verò alius, nempe cum quo peccauit Iudas, non coniungitur cum omissione libera peccati; neque hæc coniunctio subest meæ liberæ electioni; sed solum, vt vtrumque hoc extremum positium existat simul, vel vt neutrum existat. In quo nullum est inconueniens, vt conici clarius potest ex dictis supra circa hoc ipsum ab art. 23. Igitur scientia mediæ nullam inducit in Deum falsitatem, vel etiam secundum quid, & purè apprehensiuam, vel quoad modum cognoscendi.

Ad 4. Stultum quidem est, adiungere cognitionem conditionatam cognitioni absolutæ iam præexistenti de eadem re: sicut stultum est, adiungere scientiam affirmatiuam possibilitatis rei, præexistente iam scientia de existentia eiusdem rei. Quia posterior veritas utrobique continet in se formaliter veritatem priorem, eique saperaddit. At ordine contrario optime se res habet ob rationem contrariam, & à nemine negatur comparatione facta inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis distinctas inter se virtualiter intrinsecè, cum præexistentia virtuali simplicis intelligentiæ ad scientiam visionis. Scientia autem mediæ subsequitur virtualiter intrinsecè ad scientiam simplicis intelligentiæ, cui aliquid superaddit, & præcedit virtualiter intrinsecè scientiam visionis; quæ similiter superaddit aliquid eidem scientiæ mediæ. Nulla igitur est absurditas in hoc processu Diuinæ cognitionis, & exempla obiectionis sunt abs re.

Ad 5. Patet ex dictis circa secundam confirmationem

F 3 nem

nem tertij. Nempè sicut prævidetur per scientiam mediam, quòd homo operaretur benè, certaret, vinceret, & mereretur; non autem quòd iam hoc faciat, ità prævidetur, quòd Deus coronaret, & remuneraretur, non tamen iam hoc facit, aut prævidetur iam facere. Ineptissimus ergo erat error ille Pelagianorum dans compensationem absolutam operis, & laboris existentis tantum conditionatè, & per solam extrinsecam denominationem; cum opus bonum, quatenus sic prævisum, solum in genere causæ finalis mouere possit ad dandam gratiam, qua fiat absolutè, vt dicebat supra D. Thomas.

Ad 6. Iam superius dictum est, nomen istud scientiæ mediæ inductum esse de nouo maioris claritatis gratia, & pro expeditiori disputationum vsu; rem verò ipsam significatam per illud docuisse iam olim Theologos seculi omnes, præsertim D. Thomam, & Scotum, vt ostendit fuse P. Montoya disput. 67. de scientia Dei. Qui similiter demonstrat disput. 86. sect. 2. vt plurimum, comprehensam ab illis esse sub nomine scientiæ visionis. Quoad fundamentum ex parte diuisionis obiectorum, dicendum est, ultra esse, & non esse simpliciter, ac intrinsecè, dari aliud esse secundum quid pure denominatum, ac extrinsecum, & solum conditionaliter comparatum actus primi cum actu secundo. Vnde ea diuisio obiectorum est adæquata quoad res cognoscibiles; non verò quoad modos essendi rerum cognoscibilium. Quia distinctione omnibus opus est pro exponenda scientia simplicis intelligentiæ, qua Deus non cognoscit res creatas existere determinatè, aut determinatè non existere, solumque cognoscit eas secundum denominationem possibilis conuenientem eidem extrinsecè; tamen nulla res possit esse à parte rei, neque existens in se intrinsecè, neque non existens in se intrinsecè. Quapropter multiplicitas virtualis intrinseca scientiarum non pendet à sola multiplicitate scibilium secundum esse ipsi intrinsecum, sed etiam à multiplicitate secundum denominationes extrinsecas variabiles absque vlla variatione absoluta intrinseca rerum scibilium.

Art. 1. Ad 7. Liberum arbitrium Dei non existit prius purè intentionaliter in specie sui, quàm existat physicè in se ipso; ideoque non potest inducere vllam cognitionem suæ electionis prius, quam inducat ipsam electionem sibi immediatè liberam. Recognoscantur pro intelligentia huius rationis, quæ dicta sunt supra art. 13. & 14. Deinde auferret Deo libertatem ad suos actus scientia media eorum. Quia esset determinatio præuia ad vnam partem, intrinsece afficiens voluntatem Diuinam, ac proinde præalligans illam physicè ad vnam partem. Cuius rationis vis apparebit ex dicendis infra qu. 34. circa concordiam nostræ libertatis cum Diuina prædestinatione, & cum hac ipsa scientia media Dei, circa actus nostros. Demum (quod inde consequens est) scientia media Dei circa suos actus non inuaret; sed dirueret perfectionem, & libertatem amplissimè electiuam prouidentiae Dei. Ex quo capite primò, ac principaliter probata est scientia media Dei circa actus nostros. Negata igitur scientia media Dei circa suos actus, concedenda est circa nostros, respectu quorum opposita omnia verificantur.

Art. 2. Hinc consequenter neganda est Deo scientia media circa actus etiam creatos sub conditione disparata. Quia quòd actus nostri coexistant, vel non coexistant tali conditioni, subest directè soli liberæ electioni Diuinæ; atque respectu electionis creatæ id ipsum est purè casuale, ac fortuitum. Vnde negata Deo scientia media circa suas liberas electiones, neganda quoque est circa nostras quatenus coniungibiles cum conditionibus disparatis, atque separa-

biles ab eisdem. Neganda similiter est scientia media specialis euentuum conditionatè futurorum sub hypothese impossibili. Quia omnis veritas pendens ab hypothese impossibili est adæquatè indistincta ab aliqua veritate absoluta à tali hypothese, seu à veritate aliqua absolute, & adæquatè possibili, & cognoscitur depuratiùs, atque omnino perfectè, exclusa eadem hypothese. Quæ videlicet non interponitur absque aliqua improprietate, & admixtione falsitatis secundum quid ex parte apprehensionis. De quo agendum est quæst. 36. ab art. 4. & aliquid præterea insinuat qu. 43. circa distinctionem Spiritus Sancti à Filio, si non procederet ab ipso.

Ad 8. Opus quidem est eisdem omnibus principiis ex parte Dei, & nostra, pro existentia, tum absoluta, tum conditionata actuum nostrorum liberorum; sed diuersimodè. Quia ad existentiam absolutam horum actuum in se intrinsecè, opus est existentia absoluta illorum principiorum in se intrinsecè; at ad existentiam conditionatam, id est, purè extrinsecam, & intentionalem eorumdem actuum, sufficit existentia eorumdem principiorum purè eminentialis, ac intentionalis in essentia Dei, vt expositum est supra. Tali nimirum existentia principij opus est pro existentia cuiusque effectus, qualis est existentia eiusdem effectus, & nihil amplius. Quare absque necessitate, & vtilitate, ne quid in præsentem dicam amplius, inducitur decretum liberum conditionatum absolute existens in Deo, vi cuius nihil detur absolute existens, siue absolutum, siue conditionatum intrinsecum effectibus contingentibus creatis cognoscendis à Deo nihilominus secundum solam denominationem absolute extrinsecam, & tantum conditionate intrinsecam.

Ad 9. Quod decretum collatum actus primi liberi creati coniungatur cum scientia media de operatione bona potius, quàm de mala, aut cum vtriusvis omissione, & quòd idem actus primus conferatur potius per decretum prædefinitiuum boni operis, quàm per decretum permissiuum peccati; & consequenter quòd detur in Deo scientia visionis de bono opere potius, quàm de malo; aut è contra: totum pendet in genere determinantis ab electione liberi arbitrij creati; pro vt existente absolute pro sua temporis differentia, & indidem coexistente toti aternitati Dei, vt dicitur, & exponetur ex professò infra quæst. 34. Cui doctrinæ suffragatur frequens illa contrapositio sanctorum PP. apud Montoyam disput. 33. de scientia sect. 3. & 4. circa actus liberos creatos; Non ideo sunt futuri, quia præuidentur à Deo; sed ideo præuidentur, quia sunt futuri. Nulli itaque actus intellectus, aut voluntatis Diuinæ sunt medium, in quo, tamquam in primo determinatio intellectus Diuini, cognoscantur actus liberi creati, vt existentes absolute independentè à præsentia physica ipsorum respectu aternitatis. Quod tamen non tollit, quominus in actibus Diuinæ prouidentiae videatur connexio intrinseca cum nostris actibus, atque in his vicissim connexio intrinseca cum illis, & quòd catenus dicantur alij in alijs mutuo cognosci. Verum hoc nihil facit ad punctum de primo determinatio cognitionis Diuinæ. De discrimine conditionatè futurorum quoad præsentiam physicam respectu Dei non necessariam pro ipsis, & necessariam pro absolutis, iam dictum est supra; & res est satis clara, vt apparet ex fundamentis propositis pro vtraque scientia, & media, & visionis.